





9820

1763, 22

PROCANCELLARIVS
D. TRAVGOTT THOMASIVS
CONSISTORII REGII ET FACVLTATIS IVRIDICAE
ADSESSOR

PANEGYRIN INAVGVRALEM
DOCTORIS IVRIS
IOANNIS MARTINI RVHLINGII
BERGA - THVRINGI

DIE XIIX AVGVSTI MDCCLXIII.

HABENDAM INDICIT,

ET

*Vsfructuarium a contributionibus & in-
hospitationibus hostilibus immunem,
publice asserit.*

PROFESSOR

D. TRAVGOTT THOMASIVS

CONSISTORII RECHT ET FACULTATIS IURIDICAE

ADPROMPT

PANEGYRICI IN AVGVRALEM

DOCTORIS IVRIS

IOANNIS MARTINI BUEHLINGII

DEBDA - THVRINGIA

MDCCCLXXII

ALBANO

II

Wittenbergae & Lipsiae

apud Iohannem Gleditsium

procurator





DE
VSVFRVCTVARIO A CONTRIBV-
TIONIBVS ET INHOSPITATIONIBVS
HOSTILIBVS IMMVNI.

Haud raro in vita communi *dominii* partes, nempe *proprietas* et *vsusfructus* ita diuiduntur, vt vni competat *proprietas* aedium vel fundi, ad alterum *vsusfructus*, a proprietate separatus, spectet. Vltimus est *seruitus personalis*, *alienis rebus vtendi*, *fruendi*, *salua rei substantia*. Dum autem *seruitus* est, seu *ius in re aliena* constitutum, quo domino in re sua libertas, alias competens, adimitur, et aliquid *pati*, vel *nonfacere*, in alterius personae vel rei *utilitatem*, cogitur, facile patet, hic non esse sermonem de *vsufructu*, qui domino, *vi domini*, in re sua competit, et ab *ICTis vsusfructus causalis* dicitur, quia *cum causa rei* propriae, nempe parte *dominii*, coniunctus est. De illo *vsufructu* autem saepius, maxime belli calamitate existente, agitantur lites; quis *Contributiones* illas *bellicas*, et *militum hospitia*, vel *sustentationum* sumtus necessarios *ferre debeat*; *utrum vsufructuarius*, qui *ius* habet re *propriarii* vtendi, an *propriarius*, qui debet *seruitutem* pati, seu rem *seruientem* exhibere. Quare e re omnino erit, hanc in foro

IV

necessariam pariter, et vtilem controuersiam vberius et fufius tractare, et *proprietarium* condemnando, *usufructuarii* partes defendere.

Et nisi me omnia fallunt, non solum ex *indole usufructus*; sed etiam ex *essentia onerum*, imo ex *natura casuum fortuitarum usufructuarius immunis* declarari, et *proprietarii* obligatio deduci potest.

Et primo quidem, quod concernit *indolem usufructus*, consistit haec in perceptione *commodorum*, vi quorum usufructuario obueniunt omnia emolumenta *ordinaria*, quaecunque ex ipsa re, vel eius occasione, salua et non mutata rei substantia, percipiuntur, aut percipi possunt, et quidem non solum naturalia, vt alluuió, proventus renascentes ex metallifodinis, et industrialia; sed etiam ciuilia, vt pensiones, vsurae, locaria, alique redditus ciuiles, puta annui redditus, census, decimae, laudemium, fructus iurisdictionis, ius patronatus, itemque vtilitas fodiendi, caedendi, pascendi, venandi, aucupii, piscationis denique omnis, exceptis *extraordinariis* et fortuitis, in quam classem referendus est thesaurus. Atqui *commoda* diminuuntur vel *auferuntur* plane per *Contributionis bellicas*, imo *damna* potius, quam emolumenta, relinquunt, hincque usufructuarius non potest obligari ad eas, tanquam iuri suo et facultati legibus concessae, contrarias, ferendas. Accedit, quod usufructuarius, si ex re usufructuaria non habeat, vnde aedes reficere, arbores et gregem supplere queat, non obligatus sit ad reficiendum et supplendum, cum de suo id facere non debeat, *arg. l. 7. §. vlt. de Usufr. et quemadm. caueat vsufr. l. 10. §. 3. Dig. de Iure dot.* Quae cum ita sint, non obligatum esse video usufructuarium ad *Contributiones bellicas*, quae vsum fructum plane superant, et exhauriunt, praestandas.

Multo minus *indoles onerum* imponit usufructuario necessitatem *Contributiones bellicas* soluendi, et *militum hostium hospitiationis* sumtus subeundi. Non loquor hic de illo onere *hospita-*

spirationis, quod olim erat obligatio subditorum, vel monasteriorum, Domino aduenienti, ut Principi cum satellitio, gratis hospitium, esculenta et potulenta praebendi, et sumtus ferendi. Referebatur hoc genus tributi ad Regalia, et dicebatur Germanis *Auzada*, vid. du Fresne Glossar. v. *Auzada*. Hinc *Atzung*, a voce *ziehen*, *abziehen*, *einziehen*, i. e. hospitium quaerere. Quare errat Illustris olim de Ludewig in Commentario ad A. B. Tom. I. pag. 99. quod hoc ius, *die Atzungs-Gerechtheit*, sit vel seruitus, vel legibus haud praecepta humanitas. In medio aeuo in Italia vocabatur *Ius Albergariae*, collatio annonae extraordinaria militaris ad expeditionem Imperatoris in Italiam pertinens, ab *Alberga*, *Albergaria*, quae venit a germanica voce *Herberge*, nam *Heer*, communem rem denotat, hinc *Heer-Strassen*, i. e. *via communis*, et *bergen*, hospitium seu *diuersorium*, habitationemque denotat. Nam *berg* apud Saxones antiquos improprie dicebatur vrbs, burgus, *habitatio*, proprie mons, quia primi mortalium in montibus habitauerunt. Hinc multae vrbes adhuc in *berg* se deriuant, v. gr. Bamberg, Huelberg, Mallobergum, apud Francos; conf. Speelmanni Glossar. voce *Berg*, et du Fresne, voce *Hereberga*, ubi *Heribergum*, pro domo, *domicilio*, Castro, et *Albergum*, *Albergium*, pro iure *inhospitandi* in domo Vasalli, in antiquis Legibus et Diplomatum sumi, fufius probat. Dicebatur etiam ius *mansionum*, a *manere*, i. e. *hospitium* sumere, in diuersorium se recipere, vid. du Fresne, voce *Mansio*. Et nemo regulariter exemptus est a tali onere, nisi qui in specie ius immunitatis probare potest, ut artium Professores, Legum et Medicinae Doctores, Aduocati, Consilarii et Officiales Principum; *Klock de Contribut. Corallar. 56. seq.* Haud raro etiam comprehenditur hoc, de quo verba facio, tributum, apud Francos et Saxones sub voce *Fodri*, annonae scilicet militaris, a germanica voce *Futter*, pabulo equorum, quia *viſtuala* Domino Imperatorique praebere debebant subditi, vide *Speelmannum* et du Fresne, voce *Fodrum*. Hodie dicitur *Einquartierung*, et

VI

non solum obtinet in vrbibus Imperialibus, vbi Imperator eligitur et coronatur, de qua vid. de LVDEW. ad A. B. et alii. Sed etiam in *Saxonia*, si Principes nundinas, vel alias vrbes visitant, vbi eius conductui a ciuibus gratis hospitium praebendum est. Quod onus vero, tanquam extraordinarium, ab usufructuario ferendum est. Sed loquor hic de *Inhospitationibus militaribus hostium*, quarum sumtus in *proprietaryum* cadunt. *Onera* quidem sunt vel *personalia*, quae personae, nulla facultatum habita ratione, imponuntur, vt *Capitatio*; vel *realia*, seu patrimonialia, quae personis intuitu rerum et fructuum imponuntur, et iterum vel *ordinaria* sunt, vt *Collectae*, *Census*, *Tributa*, *Indictio temporaria superindicta*, *Schazung*, *Schoßs*, und *Steuer*, *Stipendia*, *Salaria*, *Canon*, *Onus reficiendi aggeres*, *Reditus annui*, *Decimae*, sumtus in milites inhospitatos, seu metata *ordinaria*, ordentliche Einquartierung, vel *extraordinaria*, seu nouiter imposita. Et usufructuarius quoque ad *soluenda onera realia*, tam *ordinaria*, quam *extraordinaria*, *obligatus est*, quia commoda, reditus et fructus ad eum spectant, quorum, non proprietatis causa, praedia oneribus subiecta censentur, hincque et incommoda ac onera subire debet. Siquidem VLPPIANO l. 7. §. 2. de *Vsuf.* teste, onera omnia agnoscit Usufructuarius, vt tributa et alia; et l. 27. §. 3. eod. onera omnia realia subire debet, imo id, quod ob transitum exercitus confertur, ex fructibus, cui sententiae et PAVLVVS in l. 27. de *Vsuf.* legato, et in l. 13. de *impensis in rem dot. fact.* CARPZOVIVS P. I. C. 32. d. 50. n. 6. P. III. d. 12. n. 1. BERGERVS *Oecon. Iur. Libr. II. Tit. 3. th. 9.* album calculum addunt. Noto notius tamen est diuisio onerum, in *ordinaria*, *extraordinaria*, et *insolita*, seu *insolitissima*, imo *immodica*, quae grauiora sunt, et non proportionata fructibus, et *reditus*, quos percipere potuisset, *transcendunt*, eosque absorbent, et excedunt. Haec enim non praestat usufructuarius, sed ea suscipere debet *proprietaryus*, tanquam *dominus*, et quia concernunt *utilitatem* eius, imo *conseruationem* totius

totius fundi, dum alias interisset. Naturale vero est et aequitati conueniens, vt is, qui commoda sentit, et incommoda sentiat; Atqui bellicae *Contributiones*, quae incendii terrore iniecto oriuntur, sunt *insolitissima* onera, et concernunt vtilitatem proprietarii, dum alias fundus ferro et flamma deuastatus ab hostibus, et finito usufructu nulla vtilitas vterius in eum redundatura esset, adeoque et proprietarius ad ea soluenda obligatus est. Qui enim legem paulo ante allegatam 7. §. 2. de *Vsuf.* recte perpendit, statim videbit, quod *VLPIANVS* de oneribus *modicis* tantum loquatur, nunquam enim praestat usufructuarius ea tributa, quae *vsufructum absorbeant*, sed proprietarius, vt dominus rei, ceu *GOTHOFREDVS* in not. ad dict. leg. eleganter satis et erudite probat, et ex verbis antecedentibus huius legis, quae de *modica refectione* agit, patet. Notissimi praeterea iuris est, quod *impensae*, quae non fructuum gratia, sed ad *perpetuam* rei vtilitatem factae sunt, a *proprietario*, non *vsufructuario*, sint praestandae, l. 7. C. de *vsufr.* Vt taceam, l. 27. §. 3. de *vsufr.* loqui de *transitu exercitus, ordinario pacis, non belli* tempore, quippe quod est *insolitissimum*. Imo *CARPZOVIVS* in allegata P. I. C. 32. d. 50. n. 6. et P. III. C. 16. d. 12. n. 1. *sq.* agit saltem de oneribus *ordinariis* et *extraordinariis*, non de *insolitissimis*, quales sunt *Contributiones bellicae* et *metata*, seque ipsum clarius explicat in *Libr. I. Resp. 105.* quod *vsufructuarius* quidem onera *ordinaria* et *extraordinaria* soluere debeat, non vero ea, quae *fructus perceptos superant*, tunc enim *excessum a proprietario* repetere posse, ex his rationibus statuit, quia partim, si aliter diceretur, usufructus magis *incommodo* foret usufructuario, contra eius naturam, quippe *lucris causa* relinquitur fructuum perceptio, partim, quia usufructuarius hisce oneribus propterea adstringeretur, quod fructus percipit, quorum causa oneribus illis praedia censentur subiecta, deficientibus ergo fructibus, et sic *causa onerum cessante*, cessabit utique onerum exactio. Et sane non immerito, nam usufructus est *seruitus*, seruitus est *ius incorporale*, quod in fru-

ctibus

VIII

Etibus consistit, adeoque his sublatis, et ipsa *tollitur* seruitus. Accedit tanquam palmarium, quod leges imponentes *usufructuario* necessitatem onera praestandi, contineant saltem obligationem, a quo *peti possint* ea, et quis refundere ea debeat; quocirca onera realia, quia *inbaerent bonis*, seu praediis, *recte petuntur* a possessore, nempe usufructuario, hinc etiam onera *praeterita* petuntur ab usufructuario, l. 7. de *Publ. et Vestig.* salvo tamen *regressu* contra *proprietarium*, adeoque ipso effectu obligatus est *proprietarius*, l. 39. §. 5. *Dig. de Legat. I.* Possent haec multis adhuc argumentis corroborare, nisi iam IOH. VOETIVS in *Commentar. ad Dig. Libr. III. Tit. I. §. 38.* omnia exhaustisset. Et consentientes mecum habeo ferme omnes Germaniae Ictos celeberrimos, qui *proprietarium* ad refundendas *Contributiones bellicas, Inospitationesque*, si tam graues et immodicae fuerint, vt etiam superauerint fructus, vno ore statuunt. Nec desinita est haec sententia Oraculis Ictorum. Sic CARPZOVIVS *Libr. I. Resp. 105.* duobus Responsis Scabinatus Lipsiensis hanc corroborauit sententiam, et RICHTERVS in *Dec. 20. n. 7. et 8.* refert in *Scabinatu Ienensi* pronunciatum esse: Daß Kläger die ausgeklagten Kosten, an Steuern, Einquartierung, und andern dergleichen Beschwerden, soweit die Nutzungen von denen inhabenden ihres verstorbenen ersten Mannes hinterlassenen Güthern zureicht, als *Usufructuaria* und *Besitzerin*, vermöge klarer beschriebener Rechte, für sich alleine zu tragen schuldig, es sind aber Beklagdens Erben, was über solche Nutzungen, in Ansehung derer berührten Güther, von der Wittib abgetragen worden, derselben hingegen billig zu ersetzen verbunden. V. R. W. Id quod et iuris est, si *pater* in *bonis aduentitiis* usufructum habuit, vt in *Facultate Ienensi* iudicatum esse idem enarrat RICHTERVS *c. l. n. 8.* Daß dem Vater die nothwendigen Auslagen, welche bishero wegen derer Güther geschehen, und er salvo usufructu zu tragen nicht vermocht, von denen Vormünderen nicht unbillig wieder zu erstatten und gut zu machen.

machen. V. R. W. id quod et modo laudatus RICHTERVS P. II. Dec. n. 28. et Consil. 238. in fin. vterius confirmat, cui et HAHNIVS ad Wesenbecium Libr. III. Tit. de Legat. 3. leg. 30. §. 3. STRVIVS Ex. 12. tb. 24. BRVNN. ad l. 7. n. 11. BERGER Oec. Iur. L. II. Tit. 3. tb. 19. n. 7. vbi ab obligatione vsufructuarii onera soluendi incumbentis, onera omnino *insolita*, cuiusmodi fuerunt in Sax. El. 1706. et 1707. Suecica indicta, expresse excipit; LEYSERVS in *Meditat. ad Pand. Libr. III. Meditat. 106.* vbi Responsum *Facultatis Wittenbergensis* d. a. 1709. huius tenoris exhibet: Wenn nun gleich ein Vsufuctuaris alle dem Guthe aufgebürdeten Onera, sowohl die ordinaria als extraordinaria, ja selbst die Krieges-Beschwerden zu tragen schuldig; Alldieweil aber solches nur von denen modicis oneribus zu verstehen, hingegen diejenigen, welche die Nutzungen übertreffen, von dem Eigenthums-Herrn entrichtet werden, indem es unbillig wäre, daß ein Vsufuctuaris nicht allein keinen Nutzen aus dem Guthe, sondern noch darzu Schaden haben sollte; so seyð ihr die dem Guthe aufgelegten Beschwerden und Contributiones, in soweit solche die sämmtlichen bereits erhobenen, und noch ferner zu erhebenden Nutzungen übertreffen, zu ertragen nicht verbunden. V. R. W. adstipulantur. Et ipse in *Facultate nostra Lipsiensi* plus vice simplici vsufuctuarium ab obligatione praestandi Contributiones Brandenburgicas a. 1746 et 1756 sequ. exactas in Sax. El. absolutum memini, et quidem ex his additis rationibus: Obwohln Beklagter (sc. proprietarius) sich nicht verbunden erachtet, die von Klägern (vsufuctuario) praetendirte extraordinair-Magazin-Getrayde-Lieferung, sammt denen Preussischen Brand-Schatzungen, und Aufwand bey denen Durch-Märchen zu ersetzen, immassen solche ad onera extraordinaria, welche ein Vsufuctuaris, sec. l. 7. §. 2. et l. 27. §. 3. de Vsuf. tragen muß, zu rechnen; D. a. u. d. von diesen extraordinariis, die insolita onera, worzu die Magazin-Lieferung und Preussische Contribution gehöret, wohl zu un-

terscheiden, welche, da sie quantitatem fructuum weit übersteigen, und selbst den Werth der Güther verringern, folglich der Vsufructuarius mehr Schaden als Nutzen aus dem Guthe haben würde, schlechterdings den proprietarium treffen; So ist &c.

Denique omnium optime ostendit *indoles casuum fortuitorum*, quod *proprietarius*, non usufructuarius, Contributiones bellicas et metata praestare debeat. Casus enim fortuitus vocatur id damnum, quod quis per humanum consilium nec prouidere, nec auertere potest. Belli autem calamitatem ad casus fortuitos referendam esse, nemo facile in dubium vocabit, nam notum est, casum fortuitum accidere vel ex causa naturae, vel causa, seu facto hominis. Prior est maris tempestas, naufragium, sterilitas, fluminis impetus, valetudo, graculorum incurfus, et quae sunt huius generis plura. Facto hominum adscribuntur latronum et hostium insidiae, incendium culpa hominis exortum, furtum, vis priuata, falsa testium depositio, iniura iudicis sententia, et similia. *Casum fortuitum* vero subire debet *dominus*, nam res perit suo domino, dum commodum suum cum alterius damno nemo augere debet, dominus autem est proprietarius, hincque et is tales calamitates ferre debet. Sicuti enim, si incendium oritur, et aedes comburuntur, non usufructuarius, sed proprietarius eas reaedificandi obstrictus est; ita etiam ad Contributiones bellicas praestandas obligatus est proprietarius. Neque ad rem quid facit, quod *usufructuarius* sit *dominus fructuum*, de *fructibus* praestentur *onera*, adeoque et ad haec onera militaria subeunda obligatus sit usufructuarius. Nam supra iam facta distinctio inter *onera* ordinaria, extraordinaria et *insolita*, omne dubium remouere potest. Nec obstat his dictis, quod *casum fortuitum* nemo alteri praestare debeat. Nam cessat hoc, si alter alteri *ob rei certae usum* aliquid praestandi obligatus sit. Sic, si conductor per hostium incurSIONem, vim fluminis, incendium, aliosque casus fortuitos damnum passus est, pensio ex aquo et bono ipsi remittenda est a locatore, atque

atque ita casus fortuitos simul ferre tenetur locator, licet de casibus fortuitis nihil sit conuentum, *l. 15. §. 2. et l. 25. §.* *Vis maior, D. Locati.* Atque, et ex hoc fundamento, *propriarius* erit obligatus ad praestandas *Contributiones* bellicas, atque *Inhospitationes* hostium.

Nec est, vt cum quibusdam *ICTis* distinguas inter *vsufructum*, qui secundum *leges Romanas*, et qui secundum *leges Germanicas* conceditur. Secundum priores constituitur quidem vel a lege, vel a iudice, vel a domino. *Lege* conceditur expressa, *patri*; a) *vi patriae potestatis*, in bonis *liberorum* non emancipatorum *aduentitiis*, quem *vsufructum* pater retinet, licet ad secunda vota transeat, excepto *peculio irregulari*, puta in donatis ab extraneo, cum conditione expresse adiecta, ne patri *vsufructus* adueniat, deinde si cum patre filius succedat in hereditate fratris, nec non si filius sibi relictum legatum renuente patre accipiat, denique si ei a Principe quid donetur; b) in dimidia parte bonorum emancipatorum, in praemium emancipationis, id quod tamen hodie teste *CARPZOVIO P. II. C. 20. d. 5.* cessat; c) ad secunda vota transeunti, in bonis, quae ab vxore accepit: 2) *matri*, mortuo patre, ad secundas nuptias eunti, *superstitibus liberis*, in bonis, quae a marito priori habet, et in quae paterna liberis successit. Porro a *iudice* per sententiam constituitur *vsufructus* in iudiciis diuisoriis, finium regundorum, familiae herciscundae et communi diuidendo, in rebus, quae diuidi commode nequeunt, vni proprietatem, alteri *vsufructum adiudicando*. Denique ab *homine* conceditur vel inter viuos, et quidem partim per contractum emtionis venditionis, locati, dotis dationis, donationis, pignoris; partim quoque praescriptione; vel vltima voluntate, vt legato, fideicommissio. *Vsufructus Germanicus* est, qui 1) *marito*, in fundo dotali et bonis vxoris, *Jure Prouinciali Saxonico Libr. I. art. 31. et 45.* 2) *patri* in bonis liberorum *aduentitiis* competit, puta maternis, qui eum in finem datur, vt filium aliat, et onera matrimonii

praestet; 3) *viduae* in *dotalitio*; 4) *matri* *viduae* in bonis liberorum, mortuo patre, *Jure Prouinciali Saxonico, Libr. I. art. 11.* ob onus educationis et alimentationis, concessus est; hodie vero in Saxoniam Electoralem per *Dec. 62.* exulat. Hunc usum fructum in Germania non speciem *seruitutis*, sed *dominium utile* fuisse, et vocatum *Lidoleip*, quasi *leibe zu Leib, Leibgeding*, fingit HEINECCIUS in *Jure Germanico Libr. II. Tit. 2. §. 37.* Quare talem usufructuarium, ex hac ratione, quia utilis dominus omnia onera, etiam insolita ferre debet, obligant ad Contributiones bellicas sustinendas. Sed sibi ipsi contrarius est HEINECCIUS *all. loco §. 40. 41. 48.* asserens, quod usufructus tutorius mariti, et patris et matris, *nihil commune* habuerit *cum utili* dominio; sed *vera seruitus* personalis fuerit. Quocirca, vel ex hac ratione usufructuarius Germanicus obligari nequit ad Contributiones et sumtus bellicos ferendos. Nec minorem scrupulum mouere quis posset ex eo, quod *ususfructus extinguatur*, aedibus incendiis et ruina consumptis, *l. 5. §. pen. D. Quibus modis Vsusfructus amittatur, et l. 36. eod. de Vusufr.* ita, ut ne quidem area in usufructu sit. Atqui si Contributiones soluuntur, extinguatur usufructus. Ergo nec *propriarius* praestare debet tales Contributiones. Sed salua res est, nam distinguendum est inter cessantem usufructum *ad tempus*, et *in perpetuum*. Licet *ususfructus ad tempus* cesset ob Contributiones bellicas, non tamen *extinguatur in totum*, et quia haec Contributio *non soluitur pro conseruatione ususfructus*, sed *substantia* ipsius *fundi*, quae demum ad proprietarium reuertitur, et proprietarius omnino obligatus erit ad eam praestandam.

Sed missis his rebus vsui fori inseruientibus, propius peruenio ad scopum, quem mihi in praesenti Programmate proposui. Est enim vita nostri CANDIDATI PRAENOBI-
LISSIMI IOHANNIS MARTINI RUHLINGII vel
tribus

tribus verbis delineanda. Primam huius mundi aspexit lucem Bergae, pago in Thuringia ad flumen Helmam sito, satis noto, anno R. S. MDCCXL. die VIII. Mens. Aug. Veneratur optimum patrem Christophorum Henricum Rühlingium, per multorum annorum spatium Serenissimorum Principum Schwarzburgicorum Metalli, citra Bergam, fodinarum praepositum, et suauissimam matrem Helenam Mariam Julianam, quos honore omni prosequendos parentes, summum numen, in salutem eorum atque emolumentum, ad Nestoreos annos sospites et saluos esse iubeat. In linea paterna memoria colit perenni, auum Augustum Rudolphum Rühlingium, patris sui in dignitate praepositi metallifodinarum praecantecessorem, et auiam Annam Sophiam Heinin. In linea vero materna pietate summa prosequitur auum Ioannem Andream Benkensteinium, et auiam Annam Mariam, ex gente Diezia. Hi indulgentissimi parentes, cum Candidatum nostrum studiis a primis incunabilis statim destinassent, in iis praecipue artibus, quibus puerilis aetas impertiri solet, eum praecipuis erudiendum tradiderunt praceptoribus priuatis, quorum industria ita profecit, ut ex eorum scholis teneris adhuc annis exire, et in Gymnasium illustre coenobii, quod Roslebi floret, se se conferre potuerit, ubi et ad ingrediendam, et perficiendam studiorum suorum, quae ad humanitatem pertinent, rationem, praecceptores optime de se meritos, Rectorem nempe Schmuzerum, atque Conrectorem Sreberum, viros egregiis ingenii et solidae doctrinae monumentis iam dudum celebres, accepit.

Per triennium, et quod excurrit, ad altiora studia ibi praeparatus anno MDCCLVIII. ad Almam Salanam se contulit, a viro Magnif. Carolo Gotthelf Müllero, Philosophiae Doctore, tunc temporis Pro-Rectore, in numerum ciuium Academicorum receptus, Jurisprudentiae sedulo nauauit operam, quae vero, cum a Philosophia multa habeat adiumenta, et ut Cicero ait,

ait, non ex duodecim tabulis, nec ex edicto Praetorum, sed penitus ex intima Philosophiae iuris scientia sit haurienda, primum animum iis imbuunt disciplinis philosophicis, quae iuris prudentiae inseruiunt, in logicis praeceptores colit viros, Henningium, Selettweiniumque, in principiis vero iuris naturae, non tam Dariesium, quam iam memorarum Henningium, cuius etiam praelectionibus metaphysicis interfuit. In Matheos institutione usus est Succouio. Juris civilis prima elementa siue institutiones, ductu Heineccii, Pandectas, praeunte Schuamburgio, iura canonica atque criminalia, Engauio duce, feudalia vero, Helfeldio, Schmidio, Kochio, atque Moeckerio accepit. Elapso triennio, publicum ex consensu Amplissimae Facultatis Philosophicae edidit specimen suae eruditionis acquisitae *de quantitate iuris et effectu inde pendente*, quod sub praesidio supra laudati Henningii, die XV. Octobr. MDCCLX. publice, cum applausu defendit. Ad patrios redux lares, ibique per breue tempus commoratus, a Viro Consultissimo Caspare Günthero Lindnero, praefecto Kelbrauiensi, fautore, patrono atque amico suo ad cineres usque colendo, praefecturae sibi a Principe summo commissae constitutus est Actuarius, cuius vices consentiente regimine Swarzburgico Frankenhufano quoque per triennium omni adhibita, qua par est, et decet, diligentia, gessit. Adiit denique hoc anno Senatum nostrum, et examinibus, quae cum Candidatis haberi more maiorum solent, duobus, se se subiecit, in quibus, cum suam doctrinam nobis exhiberi non mediocrem communi omnium suffragio DOCTORUM honoribus et priuilegiis exornandus iudicatus est. Quare, reliquis suae eruditionis speciminibus publicis, Lektionem, ut vocant, cursoria scilicet ad L. 2. C. de Rescind. emt. vendit. die proximo Mercurii, hora post meridiem secunda, et Disputatione Inaugurali de Executoribus Vltimarum Voluntatum Praesidae Magnifico et Excellentissimo Dno. D. Friderico Gottlieb Zollero, Prof. Publ. de V. S. et div. R. I. vi et Facultatis

tatis

iatis nostrae Assessore gravissimo, die sequenti d. XIII. Augusti exhibitis, iure meritoque Doctorum ornamentis condecorandus est. Quem in finem, vi et potestate muneris *Procancellarii* clementissime mihi demandati, Spartam *Promotoris* defero Viro Illustri, Magnifico atque Excellentissimo Dno. D. Carolo Ferdinando Hommelio P. P. O. Institut. Curiae Prouincialis, quae Lipsiae floret, Superioris per Saxoniam Electoralem, et Facultatis Juridicae nostrae Assessori Celeberrimo, Collegae nostro suauissimo, vt Candidato nostro satis digno, honores in Jure summos omnes, excepta saltem in Facultate nostra obtinendi demum locum spe, solemnibus verbis, rituque consueto conferat. Quam inaugurationem, si Rector Academiae Magnificus, Comites Illustrissimi, Vtriusque Reipublicae Proceres, sua praesentia amplissima atque illustri, honoris splendorisque plena, pondus aedecus addere haud dedignari velint, rem multis a me officii et precibus demerendam praestabunt.

Dabam Lipsiae Dom. XI. post Festum Trinitat.

CIDCCCXLIII.



Leipzig, Diss., 1763(1)

vd 18

ULB Halle
005 308 925

3







9820

1763, 22

PROCANCELLARIVS
D. TRAVGOTT THOMASIUS
CONSISTORII REGII ET FACVLTATIS IVRIDICAE
ADSESSOR

PANEGYRIN INAVGVRALEM

DOCTORIS IVRIS

IOANNIS MARTINI RVHLINGII

BERGA - THVRINGI

DIE XIIIX AVGVSTI MDCCLXIII.

HABENDAM INDICIT,

ET

*Vsufuctuarium a contributionibus & in-
hospitationibus hostilibus immunem,
publice asserit.*

